

D. D.

**AER
HABITABILIS.**

QUEM,

CONSENS. NOBIL. NEC NON EXPER. ORD. MED.
IN REGIA ACADEMIA UPSALIENSI,

PRÆSIDE

VIRO NOBILISSIMO ET EXPERIENTISSIMO

**DN. DOCT. CAROLO
LINNÆO,**

EQVIT. AURAT. DE STELLA POLARI,

S:Æ R:Æ M:TIS ARCHIATRO,

MEDIC. ET BOTAN. PROFESSORE REG. & ORD.

ACADEM. SCIENT. UPSAL. HOLMENS. PETROPOL.

BEROLIN. IMP. NAT. CUR. LONDIN. MONSPÆL.

TOLOS. ET FLORENT. SOCIO,

PUBLICICE VENTILANDUM SISTIT

**JOHANNES VICT. SIEFVERT,
SUDERMANNUS.**

IN AUDIT. CAR. MAJ. AD DIEM XXII. DEC.
ANNI MDCCLIX.

H. A. M. S.



UPSALIE.

4448
62
ASSESSOREN uti Kongl. Collegio Medico,
Högådle Herr

JOHAN VICTOR SIEFVERT,

MIN HÖGTÅRADE KÄRASTE FADER.

*E*der Huldaste omvårdnad, och oräkneliga kärleks välgierningar, medelst hvilka jag från första andedrägten, varit, och ännu genom mildaste omsorg, är bibehållen, befälla mig, med största skyldighet, såsom et ringa vördnads-prof upoffra Eder detta mit lilla arbete, hoppas, då det med blida ögon genomses, få vara innesluten uti vanlig ålskans-vård ynnest, under det jag, i all min tid, framhårdar

MIN HÖGTÅRADE KÄRASTE FADERS

Edmiuk-lydigste son
J. V. SIEFVERT.



I. N. 7.



pecimen quoddam Academicum editurus H. L. non ingratum fore judicaverim, si de AERE, in quo, a primo ortu, usque ad ultimum vitæ punctum, tanquam pisces in aqua, nostram transimus vitam, dixerò. Hanc rem eo lubentius in me suscepi pertractandam, quod, itineribus per *Pomeraniam & Prussiam*, ab anno 1755 ad annum 1759, factis, expertus sum, quam salubris ille, præ aliis, sit locus, qui temperata circumdatur aura. Brevitati studens, rationibus aëris Physicis investigandis non immorabor, sed tantummodo de ejus in Medicinam & Diætam influxu, pro modulo ingenii, agere conabor. Itaque H. L. me excusatum habeas, enixe rogo ac obtestor, si hanc rem minus apte a me elaboratam inveneris, quippe variis militum mor-

bis curandis dum interesse debui, Doctorum paginas evolvendi, necessariamque ex iis hauriendi eruditionem, non opportuna satis subministrata mihi fuit occasio; quam gratiam si obtinero ad quævis officia me Tibi obstrictissimum semper eris habiturus.

AEREM, nobilissimum illud Elementum, sine quo, ne puncto quidem temporis, in vivis esse possumus, sed, luminis instar, exstingueremur, ope pulmonum ducimus, perque poros attrahimus, & exhalamus.

Aër varius est & differens respectu,

- 1:0 *Caloris & Frigoris,*
- 2:0 *Siccitatis & Humiditatis,*
- 3:0 *Levitatis & Gravitatis,*
- 4:0 *Motus & Quietis,*
- 5:0 *Mixturæ cum heterogeneis.*

§. I.

CALOR aëris & FRIGUS, variis in Globi terraquei locis, variisque anni temporibus, differt. *Calor* intra Tropicos supra grad. 36. in locis umbrosis raro ascendit, raroque ad grad. 20. supra punctum congelationis descendit. In *India Orientali*, calorem, maximo durante frigore, quibusdam in locis ad grad. caloris 14. descendisse, vidi ex obs. D:ni Braad. (Thermometrum intelligo Svecicum, cujus punctum congelationis Aque est 0; Aquæ vero ebullientis 100.) Löffling, b. m. dum iter in America fecit, Thermometrum ad *Cumanam* æstate, supra grad. 33, & hieme infra grad. 24. caloris se nunquam vidisse testatur; quocirca obser-

observamus experimentum hocce locis depressioribus factum esse; quia sub Æquatore montes altiores, perpetua nive obducti, æque ac in Lapponia, reperiuntur: Svecico nostro autem sub climate, tempore æstivo, maximo æstuante Calore, Thermom. ad grad. 31 & 32, hibernumque Frigus ad 31 à 32 infra congelationis punctum, vidimus. Calorem autem æstivum ad grad. cal. fere 24. à 25, & frigus hibernum ad grad. frig. 24 à 25 communiter apud nos experti sumus. Dominus Anton. Roland. Martin, cum montes *Spitsbergenses*, æstate proxime præterita, visitavit, calorem supra caloris 8 grad. nusquam cognovit, ubi, ob defectum ignis, alimentique nemo habitat. In regionibus autem, ad boream maxime vergentibus, quantum sit frigoris, mihi nondum constat. Physici Petropolitani de tanta vi frigoris ad Camschatkam commemorant, quanta omni fere veritati repugnare videtur; certissimum tamen est, quod in his provinciis terra, per totam æstatem, continuo gelu adeo induretur, ut puteos non possint fodere incolæ. Calor intra grad. 16 & 20 in *ædibus* nostris, maxime nobis convenit, cum neque nimio calore, neque frigore tunc afficiamur; descendente autem infra grad. 15 calore, frigus apud nos tantum persentire licet, ut ad grad. 12 delapso, halitus noster ipsis oculis cernatur; Infra grad. 25 calore & frigore, existentibus, nostra re- & in-spiratio maxime promovetur; quo autem magis supra huncce gradum ascendant, eo celerior & molestior inde fit respiratio; nos

nos igitur, intra cal. & frig. grad. 31 viventes, majoris aëris mutationi obnoxii sumus, quam incolæ Cumanæ, quorum differentia caloris grad. 7 tantummodo attingit. Hinc primævos homines, sub climate Indico creatos, nudos vitam, ac hodiernos ejusdem regionis incolas, qui nullis fere utuntur vestimentis, tueri potuisse colligimus.

§. II.

Aër, per se & sua natura SICCUS, ex halationibus & vaporibus, quas aqua, terra humida, & vegetabilia per folia continue exhalant, humectatur, quo fit, ut, locis depressioribus occlusis, umbrosis, frigidiori tempestate, imbribus diuturnioribus, dum avolare prohibetur vapor, humidior evadet aër. Verno tempore, terra, gelu antea constricta, calore solis resolvitur, & nimium quantum evaporat; aërem nihilominus densiorem autumnino, quam vere, dum vapores citius dissipantur, habemus; Aër itaque vaporibus & exhalationibus, quæ corpus nostrum maxime afficiunt, imprægnatur; quo evenit, ut multæ variæque in nobis tunc persentiantur mutationes, quas Medici lynceis observare solent oculis. Incolæ *India* nimio solis ardore torpescunt; quamobrem sapientissimus hujus universi Conditor terras eorum altissimis arboribus obtegit, quarum rami densiores, radios solis excipientes, umbram præbent jucundissimam, ad quam omnia animantia confugiunt, ne sub intolerabili æstu, media die, fatum subeant ultimum. In regionibus Indicis, maxime æstuanti anni tempore, vegetabilia
exsic-

exsiccantur & marcescunt, quo terrā tam sterilis & nuda, quam apud nos tempore hiberno, cum quo æstatem hancce ardentissimam, ex causā contraria, comparare possumus.

§. III.

Aër locis depressioribus GRAVIOR, LEVIORque altioribus, deprehenditur; hacce aëris impressione transpiratio & respiratio facilior & difficilior evadit; quod Asthmatici optime comperiant; atque per montes altissimos, quorum cacumina sublimiorem rarioremque aëris regionem tangunt peregrinantes, spongiam humectatam ad augendam aëris gravitatem in ore tenere, varii Auctores memoriæ prodiderunt; saluberrimam ideoque in illa aëris regione, cui nos sapientissimus omnium rerum Stator destinavit, vitam degimus, cum subtilissimus hujus atmosphæræ æther organis respirationis non sufficiat. Quod itaque, si ad sidera cursum aliquis dirigere optaret, ante habeat perspectum, quam iter ejusmodi instituat petulans Phaëton.

§. IV.

Venti, qui aërem purgando mutantur, ratione terrarum circumjacentium, magnopere variant. BOREAS, seu ventus septentrionalis, ficcus, rapidus, vehemens, penetrabilis & frigidus nostris in regionibus, (in Ægypto autem humidus, *Bell. it. 114*). Sed trans montes Lapponicos austro lenior & longe mitior deprehenditur. SUBSOLANUS valde vehemens his in terris, at in arenosis Africæ occidentalis desertis, nimis æstuans cernitur, & podagricos,
in

in ædibus apud nos licet tepedioribus inclusos, maxime divexat. NOTUS, seu ventus meridialis, æstate ineunte, nimio calore nobis sæpe molestus. ZEPHYRUM, a veteribus *Favonium* dictum, nostro climate, omnium mitissimum agnoscimus, hic quævis vegetabilia e sepulcris suis, quasi allicit, universæque naturæ perplacet.

§. V.

Venti, siccam efficientes terram, vapores & exhalationes immundas dissipando remonent; ventis autem QUIESCENTIBUS, omnes aëris particulæ stagnant & quasi putrent, unde nocivæ nobis redduntur. Navigatores, mari iter facientes, diuturna aëris quiete, morbis e vestigio corripuntur gravissimis. In insula S. *Thomæ*, Solstitio durante brumali, venti, duobus mensibus, in quiete manent; quo accidit, ut incolæ in morbos incidant gravissimos; salubrior itaque vita in campis locisque proclivioribus, ubi venti aërem expurgant, agitur, quam ubi quiescens remanet aër.

§. VI.

Aër variis EXHALATIONIBUS, a putridis & corruptis rebus evaporatis, a sale fumoque, a fœtidis plantis, a mephitide demum & letalibus odoribus noxius redditur.

CAP. II.

§. VII.

Nimius in Indiis ÆSTUS solaris sudorem elicit, serum sanguinis & succum evacuat, qui e contrario

trario frigore existente retinentur. Hinc evenit, ut harum regionum incolæ Melancholia plerumque laborent. Aquas qui bibunt minerales potibusve spirituosis indulgent, locis in calidioribus insudant, in frigidioribus vero magis per urinarias vias excernunt. Nimum sudoris fluxum, ut impediunt Africani, corpus suum oleo & pingvedine unguunt, quo pori corporis occluduntur, quamque ob causam veteres Romani corpora sua, balneis exhausta, oleis inungere solebant. Calor tantum attractionem prohibet, quantum transpirationem promovet, fibrasque nimis emolliendo vaporesque evacuando, corpus nostrum defatigat & debilitat.

Omnis ævi historia robur & vires Indorum & animi & corporis maximo æstuante calore, enervatum iri, tradit, quoniam nihil homines magis effœminat, quam calor, sive sole, sive igne, vestimentis vel alimentis comparatus: etenim si foco vel calefactis fornacibus corpus, justo diutius, præbeamus, adeo fessi & segnes evadimus, ut pedem vix promovere possimus, quamobrem servis suis otium ejusmodi semper invident rustici. Boerhaavius, lumen illud Medicorum, foco se nunquam opposuit. Sub aprico, radiis solis ardentibus, dormiens adeo defatigatur, ut sine summa molestia surgere non valeat. Cui, primo mane, ante flammam foci, vestes induere mos est, ille sapius, per integrum diem, languidior evadit, cum e contrario, in æde frigidiori, lectum relinquens, summo vigore ad multam vesperam actiones suas peragit. Caput, denso capillitio

licio artificiali quotidie tectum, calore nimio debilitatur craniumque ejus attenuatur, ideoque crania rusticorum septentrionalium densiora, quam aulicorum, communiter occurrunt.

Omnes tardiores, *segnioresque*, tempore æstivo, quam hiberno, negotia aggredimur nostra. Calor æstivus appetitum minuit, pinguedinem corporis nostri solvit & exhaurit; frigus vero hibernum, orexin excitando, apprime corpus recreat.

Variis æstate *Morbis*, ut Cachexiæ, Chokeræ, Causo & Scabiei, quæ in regionibus australibus morbus est endemius, obnoxii fumus; hoc quoque anni tempore febres Exanthematicæ & Contagiosæ, majori cum successu, circumvolant, quam hiberno, dum tyranni ejusmodi receptui plerumque canunt. *Virgines*, quibus vestimentis, arctissimis se constringere, mos est communis, convivium in ædibus, calore impletis, celebrantes Lipothymia non raro liquescunt; a quo malo, dum aërem frigidiorum purioremque illis attrahere conceditur, dicto citius, liberantur. Juvenes ad fornacem & focum educati, adeo imbecilles & effeminati evadunt, ut flatum venti ne minimum quidem sustinere possint. Effectus frigoris, de quibus *Diff. de Hieme* agit, attingere supervacaneum duxi.

TEMPERATUS calor intra 15 & 25 grad. nobis utilissimus, *Plantas* e terra allicit virescentes, *Insecta* a morte revocat, *Hirundines* aqua immerfas, & *Vespertiones* e veterno hiberno, ad theatrum aëris invitat. Jam demum, omnes lascivo a-

more incitatz *Aves*, conjuges ducunt; *Pisces*que ad superficiem aquæ exultantes, litora gregatim petunt; juvenes, optimo vitæ calore præditi, hilares florescunt & læti; quo extincto, frigidi & austeri redduntur. Rex David, ad grandiozem pro-
 vectus ætatem, vires corporis sui recuperandi causa, ad pedes suos florentem & robustam in lecto habuit virginem. Omnium præterea Historia peregrinatorum nos convincit, quod ægroti, de India navigantes, omnique convalescendi spe destituti, in *Insula Sanct. Helenæ* depositi, paucos post dies, vires mirifice refecerint. Ex quo, quantum calor temperatus, quem in ædibus nostris, hieme comparamus, sanitati conservandæ inserviat, cuique constare putaverim.

§. VIII.

Incolæ latissimorum Chinæ & Turciæ desertorum, ubi *exhalationes* vix ullæ a terra fere exsurgant, rigidis gaudentes fibris, plurimos morbos evitant; varia nihilominus incommoda regiones climatis ejusmodi calidissimi secum habent, inter quas *Alexandria*, cujus cives, a mense Majo, urbes suas relinquere coguntur, sin minus a febribus sese non conservant malignis, notatu dignissima est; homines vero, terras humidioris climatis tenentes, obesi & eximie plerumque sunt staturæ; at *Leucoplegmatia* & *Cachexia* laborantes, ingenio, non raro, pollent stupidiore; hinc *Bœotica* regio, sub aëre crasso, non facile generat doctos, unde *Bœoticum ingenium*, pro crasso in proverbum abiit,

quod tamen exceptionem admittit, cum ipse Plutarchus, natione fuerit Bœoticus.

§. IX.

Clima HUMIDUM, minus sanitatem hominis promovere comperimus. Autumno, aëre humiditate imprægnato, variis cruciamur malis, majusque in australibus regionibus, hoc tempore, quam in septentrionalibus, asperrima licet hieme, frigus sentimus, quo etiam evenit, ut Sveci & Helvetii, in Belgio commorantes, *Nostalgia* corripiantur, solumque natale optent dulcissimum revifere.

Opifices, pedes in humidam aquam immergendo, reddunt se *œdematosos*. Humidi causis Quotidianæ, Tertianæ, & Exacerbantes febres, vere & autumno grassantes, originem suam debent. Tempore æstivo, *umbram*, in recreationem corporis nostri, eligimus jucundissimam, quam Plantæ inconspicua pluvia continue evaporando humectant; cavendum tamen erit, ne sudantes & laboribus fessi hæc commoda in incommoda vertamus, quod facile accideret, si pori corporis nostri hæc exhalationes, febres intermittentes & phlogisticas generantes, attraherent aperti. Non sine maxima jucunditate ramos Salicum, in vasibus aqua impletis positos, eam evaporare exforbtam, aëremque reficere & temperare contemplari possumus; tali methodo, grassantibus malignis febribus, aërem ædium emendando, quo humores refrigerantur, fibræque relaxantur, ægrotis sæpissime subveniunt Medici.

§. X.

Aër EXHALATIONIBUS terræ quibuscunque, putredine nimirum, fœtore, nebulis e paludibus atris surgentibus, fumis, aëris quiete & seccentis hujusmodi causis, ortis inficitur; hinc terras colentes depressiores plurimis vexari morbis, quorum causam ab altioribus locis venti removent, satis superque constat.

Experimentis factis, aquam, motu destitutam, aëris particulas immundas attrahere novimus; quod ad probandum, vitrum, aqua purissima impletum, in camera, fumo Tabaci vel quocunque fœtore infecta, ponamus, quæ, post aliquot horarum spatium, adeo tetra evadit, ut nauseam & vomitum gustanti ciere valeat.

§. XI.

FOETOR, a putredine proveniens, corpus nostrum variis morbis, ut febribus putridis & exacerbantibus, Dysenteriis, Phthisibus, quibus incommodis cives majorum civitatum non raro instantur, exponit; eandem quoque ortus sui causam, plurimi castrenses morbi agnoscunt. Aër impurus, plurimorum genetrix morborum, per pulmones, & corporis nostri poros, attrahitur, cui Cachexia & Virus hebetudines originem non raro debent suam, quamobrem matula, uti plurimum fieri solet, in cameris non est habenda, nisi oculis nostris violentas manus inferamus.

Cives *Alexandretæ*, emporii ad mare Syria-
cum,

cum, febribus ardentibus, & putrefactis quisquiliis & stagnantibus lacunis, ortis, quotannis gravantur.

Nosocomium qui jejuno intrant stomacho, Catarrhum, Cephalalgiam, mercedem consequuntur, atque morbis ægrotorum nonnunquam inquinantur. Anno 1632, regnante in Suecia g. m. Gustavo Adolpho, fortissimus Comes & Archistrategus Torstenson, in prælio cum Comite Wallenstein ad Norimbergam commisso, acerrime pugnans captus, carcereque Jngolstadii fornicato, angusto ac depresso, sex mensium spatio; inclusus tenebatur, quo corpus hujus strenuissimi Herois, nullis fere infirmitatibus hucusque advesfactum, Chiragram, Arthritidem atque Podagram, per reliquum vitæ tempus, optimis licet adhibitis remediis, indivulso habuit comites.

Odor horribilis ex aqua, in sentina navium inclusa, proveniens, morbis Phlogisticis & Dysenteriiis nautas semper obruit. Stercora & quisquiliæ ad muros majorum civitatum rejecta, alimentum malignis Febribus & Dysenteriiis frequentissimum præbent, quam ob causam bonæ Politicæ cives, omnem in sordibus ejusmodi, extra urbem exportandis, operam navare debent; talem quoque munditiam lex ceremonialis *Deuteron. cap. 23. v. 12 & 13* jubet, quam Turcæ etiamnum, & belli & domi, ex asse observant, quo evenit, ut milites eorum morbos, quibus nostri sæpius succumbere coguntur, plane ignorent. *Verulam. in Centur. 914.* iudices Angliæ, captivos in carceribus semel quotannis

nis visitare coactos, letiferi aëris attractione in pessimos morbos incidisse, & nonnullos eorum morte subitanea interiisse, narrat, cum e contrario captivi, veneno ejusmodi adsveti, vitam diu sustinere potuerint.

§. XII.

Aër vero, gratissimis abundans vaporibus, qui ex variis *svaveolentibus* exhalantur floribus, non potest non nobis summopere placere; nihil jucundius svaviusque per Europam peregrinantibus meridionalem, quam dulcissimus odor, qui Thymo, Rorismarino, floribusque Citri nobilissimis provenit; ut taceam admirandos Alexandriae Cassiæ flores, lucorumque Cinamomorum Zeylonæ, qui omnes odorem exhalant adeo gratum, ut totum penetrare corpus, novasque vitæ vires subministrare videantur.

§. XIII.

Ante omnia, aërem SUFFOCATUM diu inclusum, vulgo absolute letalem dictum, veneni instar, evitare debemus.

Aër in *Sepulcris* aut cellis subterraneis diu suffocatus, adeo evadit venenosus, ut eum attrahentes vel Asphixiam, vel inopinatam mortem sibi extemplo pariant. Hinc occasionem de *Basilisco*, homines nudo aspectu interficiente, divinandi simplicioris ingenii antiqui sibi arripuerunt. Hanc aëris horrendam qualitatem, candela accensa, cujus flamma infecto obveniens aëri, e vestigio extinguitur, experiri possumus. (Hoc ideoque experimen-

tum ante instituendum, quam loca, ejusmodi aëre letali referta, non sine maximo vitæ periculo, ingrediamur).

Aër suffocatus & letalis, accenso pulvere pyrio, in purum mutatur, Aër, in *Cellis frumentariis* Poloniæ subterraneis perpetuo quiescens, evadit pestiferus, eandemque in oculis arcis capulisque induit naturam. Putei antiqui profundiores ejusmodi venenum haud raro conservant, quod tristissima hominum exempla, qui ad fundum earundem descensuri, determinatam attingentes profunditatem, asphixia succubuere, fatis superque comprobant; cui, in *Fodinis*, cavitates absconditas inter fodiendum aperiri contingit, sæpe viam morti certissimam eodem quoque sibi pro dolor aperuit momento; *Dygbæus*, exhalationes ex immunis stercoribus & quisquiliis, extra oppida congestis, adeo tetras evaporari, ut stannum, argentum & lintea, licet optime tuerint conservata, nigro colore, lotioni non cedente, imbuta consumat, expertus narrat.

§, XIV.

NIDOR ex pingvedine, in ignem injecta, & venenosis ortus lignis, æque exitiosa producit incommoda. Quotidiana pro dolor testatur experientia nostrates, quibus focum, ubi ignis deflagaverat, lamina ocludere in usu venit, nidore in fauces inopinatæ mortis sapissime incidisse: fata ejusmodi dolenda omnes apud nos loquuntur parociæ, urbes, pagi; cavendum ideoque erit, ne lamas

minas focorum & fornacum, prunis flammantibus,
 favillaque nondum obductis, claudamus, si, vitæ
 consulturi, Cataphoram, Lethargumque effugere
 velimus. Cui in camera, nidore infecta, dormire
 contigerit, aut mortem aut intolerabilem capitis
 dolorem, mercedem oscitantia suæ consequitur.
 Incommoda & mala, e nidore oriunda, ut evitent
 Europæ Orientalis incolæ & e nostratibus tantum
 Gottlandi, laminis focorum fornacumque nullis u-
 tuntur. *Toxicodendron*, frutex maxime venenatus,
 in America Septentrionali crescens, tanti est dis-
 criminis, ut, si ramuli vel ligna igne improvise
 consumantur, adstantes odore suo, vel unico mo-
 mento, vita privet. Lignum, *aqua vitrioli* diu
 imbutum, igni impositum, nidorem promovet vix
 ac ne vix quidem tolerandum. Anno 1727 *Gar-
 penbergæ* casu accidit, ut novem fossores, aquam,
 e fodina Heden-*Grufwa* dicta, exhausturi, li-
 gnum invenerint, quo igne accenso, omnes no-
 vem, nidore acerbissimo obruti, diem obierunt su-
 premum; Inspector fodinæ, adventum eorundem
 frustra expectans, ad inquirendum, quo sese oc-
 cultassent, descendit, foetorem sentiens fatalem,
 pugillum Tabaci pulverisati sumsit, animam vero
 illico efflavit. Lignum ALNI recens magis noxium
 in igne halitum, spirat, & nidorem efficit gravio-
 rem. Foci nuper exstructi, vel calce reparati,
 vel in quibus ignis, per totum anni spatium,
 non fuit accensus, nidorem spargunt pessimum.
 Homines sceleratos *urinam* suam in focis diversio-
 riorum,

riorum, inter peregrinandum, interdum mittere non pudet, unde nidor accensi foci oritur terribissimus, cujus nefarii facti alii postea, iisdem utentes diversoribus, maximo sapissime vitæ discrimine penas luere, quod inscii lectum ascendentes soporeque obruti dulcissimo, calefacto foco, virus hoc attraxerunt. Candela *ellyphnio* crasso seboque impuro confectæ nidorem, quo Coryza, imo etiam tussi afficimur, olent; Rustici, diem natalitium Salvatoris nostri celebrantes, matutino tempore, candelis templum undique illuminant crassioribus, quæ flammantes fumum atrum, nidore plenissimum, emittunt; hujus illuminationis catarrhum doloremque capitis reportant præmia.

Quam moestos *Tabaci* fumus effectus secum habeat, in huic nondum adseris, quibus vertiginem, vomitum & cephalalgiam inducit, quotidie observamus.

Terra quoque ipsa quibusdam locis vapores adeo malignos & absolute letales emittit, ut, cum quis nasum illis admoverit, in humum momentanea morte delabatur; Os Plutonis *Hierapoli* puteus, in fastigio collis, exhalans nebulas letales, numero horum non est excludendus. *Avernus Campaniæ* & *Charontis* specus in agro Puteolano, scobsque *Peralti* Monspeliæ, vapores, aves supervolantes, ex sententia antiquorum, ene-turos, exhalant, vide *D. D. Sawag. Act. Ups. pro A:o 1742.* Canes, qui ex ejusmodi cavernis subterraneis spiritum attrahunt, emoriuntur, quod experimentum apud Italos, hodierno etiam tempore,

cum

cum iis instituitur, qui specus hosce, Grotta Dell cano vocant; Aër hicce impurus terræ propior omnique alio gravior est. D: Sauvages hujus indolis aërem in lagenam vitream infudit vacuum, quam optime oclusam servavit &, exacto temporis intervallo, ut qualitatis aëris inclusi certior fieret, lagenam apertam supra nasum canis effudit, qui, eum attrahens, in terram moribundus decidit.

Aër, e pulmonibus nostris exhalatus, ulteriori respiratori inservire nequit, quare in cameris majoris spatii & altioribus homines vitam agere salubriorem, collectu haud difficile est. Quadraginta retro annis, milites in Borussia cum conducebantur, fabrum lignarium capulum, ad mensuram eximiae corporis sui longitudinis accuratissime conficere jussere militiae praefecti Officiales. Faber hicce lignarius, latentis ignarus doli, ad demonstrandam mensuram, quam praefecti requisierant, in capulo jubebatur ipse decumbere, quo facto, illum interceptum, imposito operculo, illico abstulerunt, at vero hic miserimus, dum respiratus per pulmones aër capulo continebatur, maxima illorum imprudentia, qui foramina, aditui aëris inservitura, facere intermiserant, suffocatus obiit.

§. XV.

Pestiferus variis, uti dictum est, Plantis exhalatur, aër; Boerhave homines, colonias in Surinamo collocaturos, sub umbra *Hippomanis* quiescentes aut dormientes, terribilem haud suspicantes illius effectum, e vita, ex improvise, decessisse; ipsosque

ventos, arboribus ejusmodi contaminatos, vitam incolis sæpissime ademisse, commemorat. In umbra *Juglandis* vel *Sambuci* somnum petentes, febribus dolorique capitis obnoxios observarunt Medici, & Boncius quoque *Satalorum* exhalatione *arborum*, incola Javæ speciali synocho affici tradit.

Toxicodendron manuum amplexu calefacta, vaporem corpus petechiis instar Purpureæ, undique conspergentem, emittit. Tornator quidam Londinensis, ante viginti circiter annos, ligna ex America præstantissima, quorum etiam in numero *Toxicodendron* erat, consecutus est, cujus exhalatio inter tornandum, in eo excitavit Ophthalmiam, cæcitatem & demum mortem.

Africani, resinam *Euphorbii* e frutice extracturi, litus vento oppositum, ut exhalationem inimicissimam evitent, inter laborandum, refugium semper occupant; *Nerium*, cum floribus suis svaveolentibus in cubili clauso quodam positum, morbos soporiferos sæpe letales inducere narrat Boerhavius. Sabeos quoque, svaveolentibus floribus variis indulgentes, lethargo plerosque vita defunctos observarunt Medici; quod autem de *Taxo* & letiferis ejusdem exhalationibus antiquiores prodidere, id omni caret veritate. Martin, *cadaver ceti* cujusdam, procella ad litus marinum pulsus, calore solis adeo intumuisse testatur, ut ruptum, fragorem bombardæ, fœtoremque, quo accollæ inflammatione oculorum correpti fuerunt, ediderit. *Ramazinus de morbis artificum* plurima enumerat,
atque

atque Fodificatores *cloacarum*, lippos & cæcutientes
fœtidis evadere exhalationibus statuit.

§. XVI.

Nidores *minerales* mortem momentaneam, non
raro, accelerant; Metallurgi nidorem *Arsenici*,
tanquam maxime letalem, jure respicientes, ex o-
dore allii, dulcique hujus sapore in officinis illo-
rum manifesto, cane pejus & angue fugiunt. Ca-
nes attrahentes fumum accensi *Sulphuris* peripneu-
monia succumbunt. Virum, cui lumen accensuro
stipula sulphurata exhalationem sulphuris attrahere
in consuetudinem venit, novi, qui, hujus effectus
nescius, ex Phthisi pulmonum, spatio duorum anno-
rum decurso, animam efflavit. Fodina *Falunensis*
accolis Phthisin communiorem non esse, summam
meretur attentionem; quemcumque vero eorum,
morbo hocce infestatum, cursu citiori, quam alio-
rum incolas locorum, periisse, nos edocet expe-
rientia. Fumus a *plumbo*, in officinis Germaniæ ar-
genteis calcinando exurgens, Colicam Saturninam
(vel Germ. *hüzen Rizen*) apud metallurgos, cum
ex improvise attrahentes, expedit, qui morbus
tanti est discriminis, ut ægrotos humi, tanquam
lumbricos, serpere cogat. Qui Amstelodami in
Cerussa, e plumbo præparanda, occupantur, vapo-
re aceto saturni emisso, paucis annis, contractu-
ram partium consequuntur; eadem fere de causa
figulorum contracturam manuum, calcinatione
plumbi oriendam, observavi. Quantum sanitas au-
rifabrorum aurariorumque atque fossorum Un-
gariæ,

riæ, fumum *Hydrargyri* attrahendo, damni capiat, quantumque exhalationes *Antimonii* opifices infestent, scripta Medicorum testantur.

Sal nullas emittere exhalationes plurimi contendunt, interim tamen homines, in officinis laborantes *Salinis*, *Scorbuticos*, vapore illius attracto, evadere convincimur.

§. XVII.

Dolia VINI aërem infectum continere vel inde constat, quod eadem, purgandi causa, introeuntes, fato momentaneo sæpissime fuerint defuncti.

Vapores *vini* in cellis fervescentis, aditu aëris interdicto, adeo perniciosæ evadunt indolis, ut naso iisdem tantummodo admoto, hominem in fauces mortis præcipitare valeant. *Panem* quoque e clibano calidissimum, in cella optime oclusa, ut refrigeretur, positum, vapores aërem maxime noxium efficientes, emissurum, confitetur *Boerhave*; & *Fungum*, cujus odore tantummodo attracto, homini ultimum parare fatum sibi cognitum affirmat. *Ædes*, tempore quodam, hospitibus destitutæ, nec non fornicata *templa*, totius septimanæ intervallo oclusæ, quorum sepulcra, mortuorum plena cadaverum, aërem æque abominandum continent sparguntque.

§. XVIII.

Ex allatis experimentis & exemplis multiplici, quam subit aër, corruptione perspecta, loca depressiora, in quibus aquæ affatim congregatæ, diuturna quiete stagnantes & putrefactæ effluvia evapora-

rant

rant nociva, plurimos habitantium valetudinarios evadere, haud difficile dijudicatu putaverim. Ruriter facientes hac de re certiores fiunt, quando in quibusdam pagis, ad summum ætatis fastigium pro-
 vectos, cum, in aliis, neminem canos capillos obtinere, animadvertimus. Observationes, Regiæ Academiæ Scientiarum, quæ in *Actis A:o 1750. Holmiæ* editis, reperiuntur, de villa in Wermlandia sita, cujus incolarum, post hominum memoriam, plerique, florescente ætatis vere, diem obierunt, nullis nunquam canescentibus, quantum nocementi vitæ & valetudini nostræ aër adferat impurus, factis superque comprobant, nam ædes hujus villæ supra rupem subterrestrem, intra quam aqua retinetur putrescens, exstructæ sunt, quarum infima parietum fungis situque corrumpebantur, quo Phthisis pulmonum, mortis præco inevitabilis, febresque intermittentes & exacerbantes hospitantibus suboriuntur.

Anno 1754. mensi Octobr. & Novemb. in hac urbe, nebulosus non minus, quam spissus exstitit aër, quo ducenta circiter hominum in febrem Hemitricæam Upsaliæ inciderunt, unde hunc morbum *Febrem Upsalensem* hodie nuncupamus; quicumque, vere & autumno, corpus vestibus haud benemunitum, aëri exponunt insalubri, febribus intermittentibus & exacerbantibus brevi infestantur. Quod vero febres intermittentes vehementiori quibusdam in regionibus impetu, mitiorique in aliis, atque, in nonnullis, homines nunquam adfligant, ex diversitate aëris & locorum pendet. §. XIX.

§. XIX.

SERENUS aër & purus quanti nostrum interfit, exemplo Eremitæ evidentissimo colligere licet, quem Boerhavius ad summum montis *Capitis bonæ spei* fastigium, sedes suas, fixisse, per totum vitæ spatium, optima usum valetudine, multoque longiorem, nempe tertiam aetatem hominum, quam depressam urbem habitantes, vitam traduxisse constat.

§. XX.

Mos in Svecia nostra æque communis ac necessarius est, ut calor ignis, tempore brumali, ædibus includatur, quo evenit, ut rimæ fenestræ vel parietis, per quam aura frigida inspiratur, adfidentes, partem corporis, calore artificiali roridi, rigescere doloreque sensibili affectam persentiamus, eo quod pori aperti constringantur & tunica cellulosa continuo frigidi aëris influxu rigescat; hinc febricula cum Rheumatismo, quovis nycthemero rediens, oritur, quam partialem febrem, intermittentem vocamus; corpore autem simili causa undique afflicto, febris intermittens in scenam prodit.

VALETUDINARIJ mutationem aëris, maximo corporis dolore, persentiscere solent, & quidem Arthritici, Febricitantes, Hypochondriaci, Cicatricibus contaminati alique ejusmodi incommodis perciti, quorum fibræ, aliæ sicco corroborantur aëre, aliæ humido magis relaxantur, quo, solidis corporis partibus, legitima æquilibrii trutina, remota, sensationem, sub aëris varietate, patiuntur, tristissimam.

Ex

Ex jam dictis, innumeros, quos in corpore nostro, effectus aër exerceat, & quantum commo-
 di perfecta ejus in diæteticis cognitio nobis adfe-
 rat, licet a quibusdam vilioris æstimetur pretii,
 quamque multa ejus adminiculo, & horrenda apud
 nos sese inopinato insinuent mala, facile perspe-
 ctum judico. Verbo: valetudo optima & vita lon-
 gior, aëre nituntur fundamento, quod comes ex-
 ercitus nostri, proxime præterlapsis annis, in Pome-
 raniam missi, qui majorem ab exhalationibus pes-
 simis, angustia castrorum, multitudine militum in
 diversoriis collectorum, situque depressioris terræ
 ortis, quam gladio adversariorum cladem accepit,
 non sine summa inquietudine, vel ego, expertus sum.
 Febres intermittentes, exacerbantes, phlogisticae,
 Dysenteriae, Cachexiae, Leuco-phlegmatiae, Scor-
 buti, Ulcera cachoetica & innumera ejusdem ge-
 neris incommoda, aëri ortus suos impuro debent.

Felix itaque, cui fors aërem inter saluberrimum vivere concessit; *prudens*, qui, vere & au-
 tumno, optimis corpus suum cingit vestimentis;
mundus, qui ab impuris sibi cavet scoriis, quod
 omnibus, panaceæ instar, maximopere
 commendatum volui.

S. D. G.



MONSIEUR.

De tous les dons, que le Createur a accordé aux mortels pour le corps, rien n'est plus à estimer, qu'une bonne santé. Sans elle un homme, soit Empereur, Roi, ou possédant toutes sortes de richesses & d'éclat, ne mene qu'une vie miserable & malheureuse. Ainsi c'est une science très intéressante de savoir la maintenir, & de la recouvrer, quand on la perdue. C'est pourquoi j'ai la plus grande raison de Vous louer, de ce que vous allez donner au public un ouvrage, qui lui sera aussi avantageux, qu'agréable. L'estime, que Vos bonnes qualités Vous ont déjà acquise, sera par-là bien augmentée. Pour moi, je Vous en temoigne une joye aussi grande, que sincere, & je Vous assure, qu'un jour Vous serez recompensé de Votre vertu, & de Vos travaux. Soyés persuadé, que je cesserai plutôt de vivre, que de ne souhaiter Votre bonheur, & d'être avec un constant attachement

VOTRE

très humble serviteur & ami
JEAN PILGREN.